




ni nomine priuaretur, testāte beato Gregorio: Depra-
dari desiderat, qui aurum publicè in via portat. Nam
arcanum eo quòd in arca clausum esse deberet, dicitur.
An ignoratis quòd tota diuina pagina parabolicè pro-
cedit? Nam Christus filius Dei modum seruauit eun-
dem, & dixit: Ego sum Vitis vera, & Pater meus agri-
cola est: Nunc attendite sonum verborum, & intelle-
ctum intrinsecum. Numquid filius Dei est vitis? neque
vitis Christus: quia maximè distant, nec Pater eius cœ-
lestis Agricola, neque Agricola Pater est. Sed intelle-
ctus occultus verborum in quo figuratur, sicut alibi si-
militudo alia ponitur, cùm dicitur, Petra, cuius lapis
angularis, & huiusmodi similia, ex quibus similitudi-
nes non proprietates dicuntur. Vide quomodo cautè
ambuletis in hoc opere diuino, non vt imprudentes,
sed vt sapientes & intelligentes. Notate ergo diligenter
verba Philosophorum, & signate mysteria: & nolite
fieri sicut equus & mulus, in quibus non est intelle-
ctus: Sapientum verò vincula soluite, & eorum dicta
reoluite, donec vobis in mente sapiant. Si vnum ex
minimis solueritis, maximum vobis non latebit: quo-
niam propter paruulos in hoc libello ponitur quintu-
plex doctrina, aliquid vtilitatis inferens ingeniosè per-
scrutantibus: primò quidem quibus alienis scientijs
hæc scientia circundatur. secundò quibus stylis lo-
quendi fruatur. tertio, quibus rebus naturaliter assimi-
latur. quartò quibus operationum modis peragatur:
& de perfectionis eius virtute. Quintò, quomodo quis-
que illa ad medicinam humani corporis vtatur.

GLOSSA IN PROLOGVM tractatus Astronomiæ.

Aristoteles ad Alexandrum de verbo ad verbum
dicit: Saturnus terram, Mercurius , , & ,
aerem, ☉ ignem regit: & non recipitur his conue-
nientia in Planetarum operatione, sed in operationi-
bus quas semper habent continuas & perpetuas, per
virtutem vltimam, qua est super omnes virtutes ista-
rum ope-